

differunt, et quæ a loco, terrâ, sole, ventis, &c. caussari possunt. Sed sunt et aliæ caussæ occultæ; sunt aliæ varietates constantes non mutabiles, nec restituendæ mutato loco et cœlo. Confer sequentes:

Urtica pilulifera romana — et altera *Parietariæ foliis*.

Cyanus orientalis luteus — et *Cyanus orient. purpureus, albus*.

Differunt calyce, radio, semine. Conveniunt toto habitu.

Poterium Pimp. Sanguisorba — et *Pimpinella agrimonoides*.

Catananche coerulea — et *lutea*.

Crista-Galli mas — et *fœmina*.

Acanthus spinosus — et *mollis*.

Saponaria vulgaris — *Saponaria anglica*.

Hemerocallis lutea — et *fulva*.

Verbascum.

Dipsacus vulgaris — *Dipsacus perfoliatus*.

Insuper *Solana Africana*, *Solana Europæ annua*; *Quercus Virginicæ*; *Asteres* et aliæ innumeræ; quas dabo in dissertatione de plantis hybridis, ubi hoc non uti evictum proponam, sed ad alias excitandum proponam.

Hisce diebus * prodiit apud *Salvium* alter tomus Amœnitatum mearum Academiarum, in quâ habentur dissertationes sequentes:

<i>Œconomia naturæ,</i>	<i>Tænia,</i>	<i>Sapor medicamentorum,</i>
<i>Lignum colubrinum,</i>	<i>Senega,</i>	<i>Plantæ Camschatcenses,</i>
<i>Semina muscorum,</i>	<i>Splachnum,</i>	<i>Officinalia animalia,</i>
<i>Generatio calculi,</i>	<i>Gemmæ arborum,</i>	<i>Pan Suecicus.</i>

In Actis Upsaliensibus † habentur Usus Electrisationis in Rheumatismo. — *Hasselquist. Descr: Mimosæ Africanæ*. — *Linnæi Scabiosa corollulis quadrifidis, foliis pinnatifidis, lobis lateralibus erectiusculis, Penthorum*. — *Hasselquist Camelopardalis descriptio*. *Mus ægyptius bipes*. *Turdus solitarius*. *Fulica*. *Vipera vera officinarum*. *Coluber cornutus*. *Anguis cerastes*. *Lacerta scincus*. *Octopodia sepiæ species*. — *Linnæi Cyprinus pinnæ ani radiis XII.* — *Gronovii pisces duo: Scomber et Labrax*. — *Lœfling monoculus caudâ foliaceâ planâ*. — *Colden, continuatio pl. Noveboracensium descriptionis: dein Astronomica, Meteorologica, Antiquaria, vita O. Celsii*.

Ego nunc a die in vesperam ultimam manum addo Museo Reginæ exscribendo, sed præcipue species plantarum conscribendo et enumerando quotquot novi omnes cum

* Hinc constat anni quo hæc epistola data est numerus qui deficiebat, scilicet 1751.

† *Acta Soc. Reg. Scient. Upsaliensis ab Anno MDCCXLIV. ad MDCCCL. Stockholmæ. 1751.*